


*Handwritten text on the left edge of the book cover, partially obscured.*

Jf  
788







*Mac. 12.*





RECTOR  
 ACADEMIAE LIPSIENSIS  
 MEMORIAM  
 EMENDATIONIS  
 DOCTRINAE ET SACRORVM  
 PER LVTHERVVM  
 FACTAE

ORATIONE ANNIVERSARIA

DIE XXXI. OCTOBR. A. R. S. MDCCLXXVII

PIE RECOLENDAM

INDICIT

---

*De doctoribus veteris ecclesiae culpa corruptae per Platonicas sententias  
 Theologiae liberandis*

*Commentatio IV.*



RECTOR  
ACADEMIAE LIPSIS  
MEMORIAM  
EMENDATIONIS

DOCTRINAE ET SACROVM

PER LVTHERVVM

FACTAM

ORATIONE ANNIVERSARIA

DIE XXXI OCTOB. A. R. S. OBSERVATA

DE RECOLENDAM

INDICIT

De hactenus editis hactenus editis hactenus editis

Indicet hactenus

Commissio hactenus



**E**xpositis superiori libello iis, quae de vniuersa illorum spirituum, qui angelorum nomine vulgo veniunt, natura tradidisse dicuntur veteris ecclesiae doctores Platoniam scholam redolentia, iam ad ea nobis est progrediendum, quae in ipsorum de bonis nominatim angelis doctrinam ex eadem schola volunt fluxisse. Huc autem illud potissimum referunt, quod mundanarum, interque has inprimis humanarum, rerum curam a Deo iis commissam fuisse defenderint. De hoc vero eorum dogmate cum in primo iam libello super hoc argumento edito abunde nobis videamur exposuisse<sup>1)</sup>, non est profecto, quod de illo denuo disputemus: sed subiicienda tamen iis quaedam adhuc videntur, quae, vt cum hoc ipso eorum dogmate arctissime nexa esse dicuntur, ita nec a praesenti causa nostra sunt aliena. Nimirum et hoc dicunt<sup>2)</sup> ex Platonicae philosophiae placitis desumptum fuisse, quod, ob hanc ipsam coeli terraeque curam angelis permisissam, religioso eos cultu prosequendos et adorandos esse statuerint non modo haereticarum partium inter primos Christianos antesignani quidam ac sectatores, sed ipsorum etiam orthodoxae ecclesiae doctorum nonnulli. Verum haec accusatio, quod hos quidem, quorum postremo loco mentionem fecimus, attinet, si non prorsus falsa planeque iniusta, certe admodum ambigua est iudicanda<sup>3)</sup>: id quod singulorum, contra quos eam instituerunt, indu-

A 2

- 1) Comment. I. pag. 40. ff.  
 2) Quorum in numero, praeter alios plures, ex recentioribus esse etiam vidimus Ioh. Bened. Carpzovium in *Varia historia angelicorum ex Epiphonio et aliorum veterum monumentis eruta*, (Helmst. 1772. 4.) pag. 22.  
 3) Inter haereticos vero utique fu-

isse, qui religioso angelos cultu exciperent, si vel maxime de Simonianis, in quos haec culpa coniecta est, parum certi nobis consistet, atque Angelicorum etiam, de quibus Carpzovius l. l. exposuit, causa dubia sit atque incerta, docet saltem Canon XXXV. Concilii Laodiceni, in quo,



inductione planum sumus facturi; ita tamen, vt paucis tantum ea de re differamus, cum neque consilii nostri ratio amplio- rem huius rei demonstrationem ferat, neque alios etiam in hoc argu- mento vberius tractando iam defudasse ignoremus \*).

Sunt vero tres potissimum, quos huius erroris diferte ab iis defensi \*) a nonnullis vidimus accusatos fuisse, Iustinus nimirum Martyr, Origenes et Ambrosius. Hos vero, si hic error vere ab iis fuisset defensus, vtique mirandum foret, a communi vni- versae suae aetatis ecclesiae sententia secessisse. Fuit enim con- stans

vt ex ipsis eius verbis post laudandis intelligi potest, diferte damnantur ii, qui eiusmodi cultui operam essent daturi. Hic enim canon profecto non fuisset constitutus, nisi fuissent tam, in quibus talis cultus depre- henderetur.

4) Quo inprimis pertinent Io. For- besius a Corse in *Instruct. historico- theolog. lib. VII. c. 5. p. 331.* (Amstel. 1645. Fol) Io. Dallaeus *aduersus La- tinorum de cultu religiosi obiecto tradi- tionem*, c. 8. pag. 56 ff. Iac. Basna- gius in *Histoire de l'Eglise*, T. II. L. XVIII. c. II. pag. 101. ff. et Io. Rud. Kieslingius in *Exercit. theologico- historicis*, quibus — Trombellii *differ- entiationes duae — de cultu sanctorum modeste diluuntur*, (Lipl. 1742 — 46. 2. Voll. 4.) To. I. Parr. I. p. 332. et Part. II. p. 74. ff. et p. 84. ff. De Origene vero nominatim inter se di- sceptarunt Matth. Bochartus et Pet. Dan. Huerius, quorum scripta, in hanc rem edita, collecta sunt in *Dis- sertations sur diuerses matieres de Religion et de Philologie, recueillies par l'Abbe Tilladet, à la Haye, 1714. 2. Voll. 8.*

5) Omitimus enim hos, quos vel perperam plane et absque vlla pro-

habilitatis specie huius erroris accu- sarunt, vel e quorum scriptis conclu- dendo tantum docere studuerunt, cultum angelorum iis probatum, aut certe non improbatum fuisse. Inter illos pertinet inprimis Athenagoras, quem, praeunte Lud. Ell. Du Pin in *Bibl. eccl. T. I. p. 65.*, Barbeyra- cius in *Praef. quam versioni gallicae operis Puffendorffiani de iure naturae et gent. praemisit*, angelorum dixit cultum defendisse, omni tamen ido- neo argumento destitutus, imo con- trario potius e loco laudando ad- parente; quare hanc ab eo culpam facile amouerunt Rem. Ceillier in *Apolog. de la morale des Peres*, c. 1. p. 1. ff. et Basnagius l. l. p. 105, sum- que errorem post ipse agnouit Bar- beyracius in vberiori opere *de la Mo- rale des Peres*, c. 4. p. 25. f. Ex ho- rum autem numero Irenaei potissi- mum et Augustini effata quaedam laudarunt, e quibus angelos a veteri ecclesia cultos fuisse, aperta consec- ratione dixerunt intelligi posse. Verum et hoc quam parum recte defende- rint, pluribus iam demonstravit Kies- lingius l. l. To. I. P. II. p. 102. et p. 106. ff.



stans sane ecclesiae antiquioris doctrina, neminem praeter vnum Deum religioso cultu esse prosequendum, talemque cultum angelis nominatim esse abiudicandum; id quod, vt taceamus iam ipsius Origenis et Ambrosii, quos contrariae sententiae diximus accusari, testimonia post commemoranda, multis vtriusque ecclesiae doctorum, Athenagorae <sup>6)</sup>, Irenaei <sup>7)</sup>, Athanasii <sup>8)</sup>, Epiphani <sup>9)</sup>, Theodreti <sup>10)</sup>, Arnobii <sup>11)</sup>, Lactantii <sup>12)</sup>, Hieronymi <sup>13)</sup>,

A 3

Augu-

6) *Legat. pro Christ. cap. XIII.* §. 20. εἴτε δυνάμεις τῆ Θεοῦ τὰ μέρη τῆ κόσμου νοεῖ τις, ἢ τὰς δυνάμεις προσιόντες θεραπεύομεν, ἀλλὰ τὸν ποιητὴν αὐτῶν καὶ δεσπότην.

7) *Adu. Haeres. lib. II. c. 32. p. 166.* ed. Massuet. *Nec inuocationibus angelicis facit aliquid, (ecclesia) nec reliqua praua curiositate, sed munde et pure et manifeste orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, et nomen Domini nostri Iesu Christi inuocans, virtutes ad utilitates hominum, sed non ad seditionem perficit.*

8) *Orat. II. contr. Arian. Oper. T. I. p. 401. ed. Bened.* Θεοῦ ἔστι μόνον τὸ προσκυνεῖσθαι. Καὶ τοῦτο ἴσασιν καὶ αὐτοὶ οἱ ἄγγελοι, ὅτι κἄν ἄλλων ταῖς δόξαις ὑπερέχωσιν, ἀλλὰ κτίσματα πάντες εἰσιν, καὶ ἕκαστος τῶν προσκυνουμένων, ἀλλὰ τῶν προσκυνούντων τὸν δεσπότην.

9) *Haer. LXXIX. §. 5.* εἰ γὰρ ἀγγέλων προσκυνεῖσθαι ἢ θεῶν, πόσῳ μᾶλλον τὴν ἀπὸ Ἄδων γεγεννημένην; et paulo post §. 7. de cultu religioso haec monet: ἔτε ἄγγελοι χαρῆσι δοξολογίαν τοιαύτην.

10) *De curat. Graec. affect. Disp. III. p. 785. To. IV. Opp. edit. Schulz.* vbi de angelis haec habet: ἢ μὴν θεοῦ τῆς οὐνοῦ ὀνομάζομεν, ἢ δὲ θεῶν αὐτοῖς ἀπο-

νέμομεν σέβας, ἢ δὲ μερίζομεν εἰς τὸν ὄντα θεὸν καὶ τῆς τῆν θεῶν προσκύνουσαν; ἀλλὰ τιμωτέρως μὲν ἀνθρώπων, ὁμοῦλας δὲ εἶναι φαρμέν.

11) *Adu. Gent. l. III. p. 100.* vbi ad quaestionem gentilium, cur Christiani Deos secum colere detrectent, haec respondet: *Ad cultum diuinitatis obeundum satis est nobis Deus primus: Deus, inquam, primus, Pater verum et Dominus, constitutor moderatorque cunctorum: in hoc omne, quod colendum est, colimus, quod adorari conuenit, odoramus, quod obsequium venerationis exposcit, venerationibus promeremur.*

12) *Instir. diu. l. II. c. 16. §. 8. 9.* *Nec est in angelis quidquam, nisi parenti necessitas. Itaque nullum sibi bonorem tribui volunt, quorum omnis honor in Deo est. Similia leguntur etiam l. I. c. 7 §. 5.*

13) *In epist. ad Ripar. To. III. Opp. p. 54. ed. Eras.* *Nos autem non dico martyrum reliquias, sed ne solem quidem et lunam, non angelos, non archangelos, non Cherubim, non Seraphim et omne nomen, quod nominatur et in praesenti seculo et in futuro colimus, et adoramus, ne seruiamus creaturae potius, quam creatori.*



Augustini <sup>14)</sup>, aliorumque locis <sup>15)</sup> constat. Et nisi haec eorum loca docerent, vel hinc etiam intelligi posset, quod, vt suo loco pluribus docebitur, in gentilium Diis hac ipsa de causa, quod adorationis sibi cultum vindicassent, malos angelos agnoscendos esse statuerunt, quodque Iesum, tanquam Dei Filium, pro Deo habendum esse, inde saepenumero probarunt, quod adoratio ei tribuatur, adorandus autem nemo sit, nisi Deus <sup>6)</sup>. Quae vero, testantibus his locis, communis fuit omnium illorum doctorum sententia, ea post medium circiter quartum saec. publicae adeo doctrinae auctoritatem nacta est, cum in Concilio Laodiceno peculiari Canone fuisset constitutum, ne quis angelorum inuocandorum causa conuenticula frequentaret <sup>17)</sup>. Quibus omnibus cum profecto parum credibile reddatur, illos, quorum nomina ante

14) *Lib. de vera relig. c. 55. To. I. Opp. p. 588.* edit. Antwerp. vbi haec de angelis habet: *Quare honoramus eos charitate non seruitute, nec eis templa construimus. Nolunt enim se honorari a nobis, quia nos ipsos, cum boni sumus, templa summi Dei esse noverunt.* In *Collar. vero c. Maxim. c. 11. To. VIII. Opp. p. 477.* Nonne, inquit, si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus, anathematizaremur a veritate Christi et ab ecclesia Dei, quoniam creaturae exhiberemus eam seruitutem, quae vni tantum debetur Deo. Simillima his occurrunt etiam in aliis huius viri locis, v. c. *de ciuit. Dei l. VIII. c. 25. To. VII. Opp. p. 164.* et *l. X. c. 7. p. 186.* et *c. 16. p. 152. Confess. l. X. c. 42. To. I. p. 145. sq.* itemque in *Euarr. Psalm. XCVI. To. IV. p. 787.*

15) Quorum magnam adhuc copiam collegerunt Forbeseus, *l. l. l. VII. c. 4. p. 323. ff.* Dallaeus *de cultus religiosi obiecto, l. l. c. 2—6.* itemque *l. III. c. 36. Basnagius l. l. L. XVIII.*

*c. 11. pag. 101. ff. et L. XIX. c. 3. pag. 1134. ff.* et denique Iac. Ode in *Comment. de angelis, sect. IX. c. 6. pag. 956. ff.*

16) In quam rem vel illa loca Inspexisse suffecerit, quae a Forbeseo *l. l. pag. 327. ff.* sunt commemorata.

17) Sunt nimirum haec Canonis verba: *ὅτι ὁ θεὸς ἡμεῶν ἐγκαταλείπει τὴν ἐκκλησίαν τῷ θεῷ καὶ ἀπιέναι καὶ ἀγγέλους ὀνομάζειν καὶ συνάξεις ποιεῖν ἅπερ ἀπηγέρεται. Ἐἴ τις ἐν εὐρεθῇ ταύτῃ ἢ κεκρυμμένῃ εἰδωλολατρεία σχολάζων, ἔσω ἀνάθεμα.* ὅτι ἐγκατέλιπε τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, καὶ εἰδωλολατρεία προσήλθεν. Quod vero in his verbis Pontificii quidam, auctoribus Dionysio Exiguo et Isidoro Mercatore, pro angelos rescribendum potius esse mouent *angulos*, id temere plane et praeter omnem testium fide dignorum auctoritatem defenditur, vt recte monuit Fuchsius in *Biblioth. Concil. Vol. II. p. 330. f.* pluribus vero demonstrauit Carpouius *l. l. pag. 26. ff.*



ante posuimus, triumuiros communi ecclesiae sententiae tam aperte repugnasse, tanto magis operae pretium esse videtur, in singulorum loca eam in rem laudata accuratius inquirere.

Iam Iustinum quidem Martyrem in notissimo prioris Apologiae loco<sup>18)</sup>, angelos religioso a Christianis cultu excipi, aperte docuisse, non tantum Romanae ecclesiae doctores, in suae ipsorum sententiae patrocinium, defenderunt<sup>19)</sup>, sed vel nostrae etiam ecclesiae Theologi quidam profiteri nulli dubitarunt<sup>20)</sup>. Verum quicquid etiam de sensu huius loci statuatur, hoc certe audacter licebit affirmare, non posse hunc ei sensum subiici, ut angelos etiam eodem, quo Deum eiusque Filium ac Spiritum S. modo, a Christianis coli atque adorari, in illo tradi existimetur. Id enim primum hoc non patitur, quod angeli illi, de quibus fermo hic est, diserte adpellantur *ἐπόμεινοι*, sc. *ὁμοῖοι*, ministrantes filio, vel, ipsum colentes. Ecquis enim sibi persuadeat, Iustinum eos, qui ipsi dicantur Filium Dei colere, eodem, quo hunc, cultu prosequendos statuuisse? Imo hoc vocabulo addendo hoc

18) §. 6. vbi haec sunt verba eius: καὶ ὁμολογούμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄδειν εἶναι, ἀλλ' ἔχει τὸ ἀληθεῶς καὶ πατρὸς δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτης τε κακίας θεῶν. ἀλλ' ἐκεῖνόν τε, καὶ τὸν παρ' αὐτῷ υἱὸν ἐλθόντα, καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἐπομένων καὶ ἕξομοιζομένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν, πνεῦμα τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα, καὶ προσκυνοῦμεν λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες.

19) E quibus conferendus imprimis est editor Operum eius Benedictinus, qui *Proleg. Part. II. c. 4. p. 21. ff.* pluribus super h. l. commentatus est.

20) Quo pertinent nominatim Semlerus in *Introd. Polemicæ Baumgart. præmissa, Vol. II. §. 55. p. 45. ff.* Starkius in *Freymüthig. Betracht. über das Christenth. Diss. VIII. p. 212. Io. Ad. Goez. in Commentar. editioni*

Apolog. II. et libr. de monarchia, (*Iustinus des Märtyrers zweite Apologie und Beweis der Alleinherrschaft Gottes, griechisch und deutsch mit erläuternden Anmerkungen, nebst einem Anbange über das Leben, die Schriften und Lehren dieses Kirchenvaters, von Joh. Adam Göz. Nürnberg. u. A. 1796. 8.*) subiuncta, pag. 200. ff. et denique Geo. Fr. Seilerus in libro: *Ueber die Gottheit Christi*, pag. 283. vbi tamen dubitauerat adhuc ea de re loquitur, confidentius contra de eadem iudicans in Progr. nuperrime edito, *de N. T. locis quibusdam, erroneae doctrinae de angelorum vi et dignitate, Christi dignitatem superante, oppositis*, pag. 21. vbi Iustinum doctrinae christianae elementis vix imbutum haec scripsisse, exque doctoris iudaici institutione hausisse statuit.



hoc potius adparet eum significare voluisse, angelos quoque Dei Filium non minus colere ac venerari<sup>21)</sup>, quam Christiani eum vna cum Patre et Spiritu S. colant atque adorent, simillique modo additum etiam vocabulum ἄλλων huc spectare videtur, vt angeli isti tanquam *alii*, praeter Christianos, Filii ministri ac cultores describantur<sup>22)</sup>. Deinde vero istam loci illius interpretationem respuit etiam alius eique simillimus eiusdem apologiae locus<sup>23)</sup>, in quo rursus ii, qui a Christianis colantur, enumerantur, neque vllus alius commemoratur, nisi Deus, omnium rerum creator, eiusque Filius ac Spiritus S. et praeterea adhuc diferte additur, Filium quidem secundo, Spiritum autem tertio ab iis loco haberi. Huic enim loco, quicquid etiam contrariae sententiae defensores aduersum moneant, facile adparet, nostrum aperte fore contradicturum, si angeli non modo tanquam quartum cultus Christianorum religiosi obiectum in eo sisterentur, sed ipsi adeo Spiritui S. praeponerentur. Quae cum ita sint, vix licet dubitare, locum hunc vel aliter, quam quidem isti volunt, esse explicandum, vel si forsitan non possit commoda explicatione expediri, ipsam eius lectionem fore mutandam. Iam quod interpretationem loci attinet, variae quidem eius in alium sensum explicandi rationes sunt propositae, quarum tamen, vt ingenue fateamur, nulla se nobis adhuc probauit. Omnes quidem in eo conueniunt, vt verba: καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἐπομένων καὶ ἐξομοιζμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν minime cum sequenti σεβόμεθα

21) Vt enim de religioso potissimum cultu vocabulum ἱερεῖαι nunc interpretemur, suadet parallelus nostri scriptoris locus, qui paulo post §. 8. occurrit; in quo quippe vocabulum hoc aperte dicitur de cultu, qui Deo ab hominibus praestatur.

22) Hinc ergo non est, quod hoc vocabulum ad Filium cum Semlero l. l. referamus, huncque et ipsam angelum, quanquam reliquis longe superiorem, hoc vocabulo ponendo a Iustino adpellari existimemus; eo-

que ipso praecipuum simul argumentum, corrumpit, quo ista h. l. interpretationem stabilire conatus est.

23) §. 16. vbi haec sunt verba eius huc imprimis pertinentia: ἄθροισμὸν μὲν ἐν ᾧ εἰς ἑαυτὸν τὸν δημιουργὸν τῶν πάντων σεβόμενοι — τὸν διδάσκαλον τε τῶν γενόμενον ἡμῶν, καὶ εἰς τὸ γεννηθέντα Ἰησοῦν Χριστόν, — Ἰδὸν αὐτῶν τῶ ὄντως Θεῶν μαθόντες, καὶ ἐν δευτέρῃ κλίμα ἔχοντες, πνεῦμα τε προφητικὸν ἐν τρίτῃ τάξει, ὅτι μετὰ λόγου τιμῶμεν, ἀπεδείξομεν.



σεβόμεθα construenda, sed ad praecedens potius comma; *καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα* referenda esse statuatur. Si vero quaeritur iam, cum quonam nominatim illius commatis verbo iungenda sint, in duas potissimum Viri docti sententias abeunt, aliis quippe cum pronomine *ἡμᾶς*, aliis vero cum *ταῦτα* ea nectentibus. Qui priorem rationem sequuntur, hos facile adparet hanc sententiam verbis his subiicere, vt Filius Dei cum nos homines, tum angelos etiam docuisse, deque natura Dei instituisse dicatur. Haec vero sententia quanquam, si vel maxime locorum N. T. a Grabio atque Thalemanno, huius explicationis defensoribus<sup>24)</sup>, ex Eph. III, 10. et 1. Petr. I, 12. ad eam illustrandam, parum commode, vt nobis quidem videtur, laudatorum, nullam rationem habueris, simili saltem Trenaei loco<sup>25)</sup> poterit vindicari; nemo tamen facile dixerit, quo consilio ea nunc a Iustino fuisse proposita. Multo minus tamen probari poterit altera loci huius explicandi ratio<sup>26)</sup>, ex qua hoc a Iustino tradi defenditur, Filium Dei nos non tantum de vno Deo colendo, sed de bonis etiam angelis sibi ministrantibus edocuisse. Nam et hanc vt argutiorem et cum verbis scriptoris vix conciliandam, ita a loci etiam contextu non minus, quam illam, alienam esse, facile videtur intelligi posse. Quem vero Seilerus horum verborum sensum

24) Praeter hos vero eandem huius loci interpretationem non modo Langus in versione sua expressit, sed eandem probarunt etiam Forbeseus l. l. p. 323. Dallaeus de relig. cultus obiecro l. l. c. 8. p. 38. Basnagius l. l. To. II. pag. 104. Iac. Ode in *Comment. de Angelis*, sect. IX. c. 6. pag. 469. et e nostrae aetatis Viris doctis Wern. Car. Lud. Zieglerus in *Theolog. Abhandl. Vol. I. pag. 95.* itemque recentissimus de hoc argumento scriptor, quem Iac. Bryant esse ferant, cuius extant: *Observations on a controverted Passage in Iustin Martyr.* Lond. 1793. 4. aliique plures.

25) *Adu. haer. l. II. c. 30. p. 163.* vbi haec leguntur: *Semper autem coexistens Filius Patris olim et ab initio semper reuelat Patrem, et Angelis, et Archangelis et Potestatibus et Viriuitibus, et omnibus, quibus vult reuelare Deus.*

26) Quam proposuit v. c. Geo. Bullus in *defensione fidei Nicaenae, Sect. II. c. 4. §. 8. p. 117. ff.* secutusque etiam est Roeslerus in *Bibliorb. Parr. Vol. I. p. 106.* cumque eo nonnulli etiam alii.



sum est suspicatus <sup>27)</sup>), vt cum Christiani, tum ipsi etiam angeli Deum eiusque Filium ac Spiritum S. dicantur adorare, eum ipsa eorum structura minime admittit, imo plane potius respuit. Quare multo profecto potior iudicanda erit illorum sententia <sup>28)</sup>), qui lectionis emendatione loco huic succurrendum, proque vocabulo *ερατόν* legendum potius statuerunt *ερατήγον*, iamque hunc sensum ei inesse defenderunt, vt angelorum, sibi quidem similibus, sed eorundem sibi etiam ministrantium, adorationisque cultum exhibentium, dux atque princeps dicatur Dei Filius. Ita autem eum ex mente quidem scriptorum illius aetatis utique appellari potuisse, cum res ipsa docet, tum disertis quoque eorum testimoniis potest confirmari. Cum enim, vt in superioribus docuimus <sup>29)</sup>), non modo homines, sed ipsos etiam angelos ab hoc Dei Filio creatos fuisse statuerint, quidni eum recte ac commode ipsorum ducem et principem dicere poterint? Vere autem eos hoc fecisse, docet v. c. locus Dialogi cum Tryphone <sup>30)</sup>), in quo diserte dicitur, eum ipsum se adpellasse *ἀρχιερατήγον*, et quidem, vt paulo post <sup>31)</sup>) additur, *δυνάμεως Κυρίε*, h. e. vt nobis videtur, omnium entium <sup>32)</sup>) a Deo profectorum, adeoque etiam

27) In libro supr. laud. *Ueber die Gottheit Christi* p. 283. vbi, *Es ist auch noch, inquit, die Frage, ob der Verstand dieser Stelle nicht der sey: Wir Christen und die Engel, die ihm ähnlich (folglich gut) sind, beten den Vater, den Sohn, und den Geist an.*

28) Quanquam enim haec coniectura nobis, ignorantibus adhuc, eam ab ullo alio propositam fuisse, in mentem venerat, vidimus tamen post, eam a pluribus iam in medium fuisse allatam, iisque probatam. Primus autem, quantum nouimus, eam proposuit Grunerus in *Institut. Theol. dogm.* p. 97. hunc vero sequuntur deinde sunt Doederleinus in *Instir. Theolog. christ.* §. 114. Obseru. I. Vol. I. p. 389. Hegelmaierus in *Prüfung der freymüthigen*

*Betracht. über das Christenth.* Part. I. p. 278. et nuperrime Guil. Münscher in *Handb. der christl. Dogmengesch.* To. I. p. 395.

29) *Commentar.* II. p. 66.

30) §. 61. p. 157. ed. Bened. vbi *πορεύει δὲ, inquit, ἀρχιερατήγον ἑαυτὸν λέγει, ἐν ἀνθρώποις μορφή φανεῖντα τῷ τῷ Ναυῆ Ἰησοῦ.*

31) *Pag.* 160.

32) De ente enim vocabulum *δυνάμεως* graecis quidem Patr. vt bene iam admonuit Langius in *Ausführlich. Gesch. der Dogmen der christl. Kirche*, Vol. I. pag. 107. saepe dicitur; nominatim vero de angelis inprimis usurpatur, in quam rem efferri etiam potest Suicerus in *Thef. eccles.* T. I. p. 969.



etiam angelorum, caput et principem, similiterque Origenes etiam eum appellat<sup>33)</sup> τὸν ἐπὶ πάντων ἀγγέλων.

Hunc ipsum vero Origenem quod attinet, is quidem propter duo potissimum scriptorum suorum loca dicitur cultum angelorum, si non probasse, certe non magnopere abhorruisse, quorum alter quidem in libris contra Celsum legitur<sup>34)</sup>, vbi Celfo, qui, si Deus eiusque Filius a Christianis colatur, etiam ministros eius ab iis colendos esse monuerat, haec respondet: εἰ μὲν ἔννοει τὰς ἀληθῶς ὑπηρέτας τῆ Θεῶ μετὰ τὸν μονογενῆ τῆ Θεῶ, τὸν Γαβριήλ, καὶ τὸν Μιχαήλ, καὶ τὰς λοιπὰς ἀγγέλους, ἀρχαγγέλους, καὶ τὰς ἕτερας ἔλεγε δεῖν θεραπεύεσθαι, ἴσως ἂν τὸ περὶ τῆ θεραπεύειν αὐτῶ σημαίνοντο ἐκκαθάρσαντες, καὶ τῶν τῆ θεραπεύοντος πράξεων, εἴπομεν ἂν εἰς τὸν τόπον, ὡς περὶ τηλικύτων διαλεγόμενοι, ἅπτε εἰσχωρεῖμεν περὶ αὐτῶ νοῆσαι. Hic igitur monent, Origenem utique videri aliquod *θεραπείας* genus relinquere. At enimvero, si quid video, hic locus neutiquam tam perspicuus est, ut ex eo de vera Origenis sententia liquido possit iudicari. Ipse enim fatetur, si quae debeat in angelos *θεραπεία* conferri, cum notionem huius vocabuli purgandam esse, tum ipsas etiam *θεραπείας* actiones accuratius constituendas. Quomodo vero utrumque putauerit perficiendum, id ex hoc quidem loco neutiquam poterit definiri, sed ex alio eiusdem libri loco<sup>35)</sup> utique videtur intelligi posse. Ibi enim haec habet de angelis: εὐφημέμεν αὐτὰς καὶ μακαρίζομεν, ἐν χειρισθέντας ὑπὸ τῆ Θεῶ τὰ χρέσιμα τῶ γένει ἡμῶν. Οὐ μὴν τὴν ἐφειλομένην πρὸς Θεὸν τιμὴν τῆτοις ἀπονέμομεν. Hic ergo largitur quidem, aliquam angelis venerationem concedi, in *εὐφημία* et *μακαρισμῶ* illam positam; at religiosum cultum, ad quem vota potissimum, preces et gratiarum actionem refert, diserte negat iis exhibendum esse<sup>36)</sup>, sed soli Deo

B. 2

dicit

33) *Contr. Cels. l. V. p. 233. ed. Spenc.*

34) *L. VIII. p. 386.*

35) *ibid. p. 416.*

36) Simili modo alibi etiam discrimen aliquod inter honorem ac vene-

rationem itemque cultum et adorationem constituit; quod fit v. c. *contr. Cels. l. I. p. 10.* vbi Christum dicit docere, τὸν ἐπὶ πᾶσι θεὸν μόνον δεῖν σέβειν, τὰ δὲ λοιπὰ, ἥτοι ὡς μὴ ὄντα, ἢ ὡς ὄντα μὲν, καὶ τιμῆς ἄξια, οὐ μὲν καὶ σέβασκο.



dicat convenire; hocque posterius in aliis etiam huius libri locis defendit<sup>37)</sup>, hincque certo certius licet iudicare, eum de religioſo quidem angelorum cultu in ſuperiori loco nullo modo voluiſſe cogitari<sup>38)</sup>, niſi eum ſecum ipſum velimus pugnari. Aliud vero

προσκυσεις και σεβασμ̄ παροσαν. Neque vero alii etiam ſcriptores eccleſ. hoc diſcrimen ignorant, ſed et ipſi id agnoſcunt, nominatimque ad angelos transferunt: vnde apud Euseb. v. c. in *Praep. Euangel. l. VII. c. 15. pag. 327.* haec leguntur: Θε̄ας μεν δυναμεις ὑπερστιμας τῷ παμβασιλειῳ Θεῷ και λειτουργικῶς εἰδοτες, και κατα τὸ προσῆκον τιμωντες, μονον δε Θεῶν εὐλογηδντες και μονον ἐκειῶν σεβοντες, ὃν και αὐτὸς ἕρανος και τὰ κατ' ἕρανὸν ἅπαντα, τὰ τε ἐπέκεινα ἕρανῶ σεβειν και ὑμνεῖν και θεολογεῖν εἰδαχθη; ſimiliterque etiam in *Demonstr. Euang. l. III. c. 3. p. 107.* haec habet de angelis: ἄς (δυναμεις) δὴ γνωριζειν και τιμῶν κατα τὸ μέτρον τῆς ἀξιας εἰδαχθημεν, μονῶ τῷ παμβασιλειῷ Θεῷ τὴν σεβασμιὸν τιμὴν ἀποκείμεντες. Simillima his ſunt, quae Eriphan. *Haer. LXXIX. §. 6.* ponit: ἡ Μαρια ἐν τιμῷ ὁ Κύριος προσκυνεῖσθαι; et paulo poſt §. 7. ἐν τιμῷ ἕτω Μαρια, ὃς δὲ πατήρ και υἱὸς και ἅγιον πνεῦμα προσκυνεῖσθαι τὴν Μαριαν εἰς προσκυνεῖσθαι. Eodem modo etiam Auguſtinus in loco ſupr. not. 14. laud. de angelis dicit: honoramus eos caritate, non ſervitute; et contr. *Fauft. l. XX. c. 25. p. 247. To. VIII. Opp.* haec habet: Ad illo cultu; quae graece λατρεία dicitur, latine vero verbo dici non poſſeſt, cum ſit quaedam proprie diuinitati debita ſeruitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertinent oblatio ſa-

crificii, vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus aut offerendum praecipimus vel cuiquam angelo: et quisquis in hunc errorem delabitur, corrigitur per ſanam doctrinam, ſive ut corrigatur, ſive ut caueatur. Etiam ipſi enim ſancti, vel homines, vel angeli exhiberi ſibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt.

37) Quo inprimis pertinet locus *libr. V. p. 233.* in quo haec ſunt verba eius: ἀγγέλους ἐνελοκομεν διὰ τὸ θεῖος εἶναι και θεὸς ἐν ταῖς ἱεραῖς ποτὶ ὀνομαζομένους γραφαῖς· ἀλλ' ἕχ ἅςε προστάςσεσαι ἡμῖν τὸς διακονῶντας και φεροντας ἡμῖν τὰ τῷ Θεῷ, σεβειν και προσκυνεῖν ἀντι τῷ Θεῷ. Πᾶσαν μεν γὰρ δεξιαν και προσευχὴν και ἔντευξιν και εὐχαριſτιαν ἀνακμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ διὰ τὸ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως, ἐμφύχως λόγως και Θεῷ. Et paulo poſt haec habet: ἀγγέλους καλέσαι μὴ ἀναλαβόντας τὴν ὑπὲρ ἀνθρωπος περι αὐτῶν ἐπιτήμην, οὐκ εὐλογον. — Ἄυτη ἡ ἐπιτήμη — οὐκ εἰσαι ἄλλω θαρρεῖν εὐχέσθαι, ἢ τῷ πρὸς πάντα ἔαρκει ἐπὶ πᾶσι Θεῷ, διὰ τοῦ σωτήρος ἡμῶν τῷ υἱῷ τῷ Θεῷ. Hinc paulo poſt p. 236. diſerte etiam negat, angelos a Chriſtianiſis coli, ἡμᾶς, inquit, ἐπίσχο μὴ προσκυνῶντας ἀγγέλους και ἡλιον, και σελήνην, και ἄστρα. Cfrenda ſunt, quae in haec Origenis loca commentatus eſt Baſnagius *l. I. To. II. p. 106. ſq.* maſto iſta ebon hinc

38) Eodem poſtius modo haec de re



vero iudicium de altero eius loco<sup>39)</sup> ferendum erit, in quo postquam dixerat, angelos de coelo descendere, ut pios ac probos custodiant, haec deinde addit: *Veni angele, suscipe sermone conuersum ab errore pristino, a doctrina daemoniorum, ab iniquitate in altum loquente, et suscipiens eum quasi medicus bonus confoue atque institue, paruulus est, hodie nascitur senex repuerascens, et suscipe tribuens ei baptismum secundae regenerationis et aduoca tibi alios socios ministerii tui, ut cuncti pariter eos, qui aliquando decepti sunt, erudiat ad fidem.* Hic enim locus nobis quidem eum iis, quae in locis modo allatis ipse Origenes defendit, tam aperte videtur pugnare, ut vix nobis persuadere possimus, eum ab eodem viro profectum fuisse. In illis enim diserte negat, vllas preces ad angelos esse mittendas, sed soli Deo deferendas; hic vero aperte angeli alicuius auxilium implorat, adeoque precibus eum excipit. Quamquam vero dici forsitan possit, hanc non tam esse inuocationem, quam rhetoricam potius ad angelum apostrophem, qua excusatione multos vidimus vsos esse<sup>40)</sup>; ipse tamen Origenes hoc non facile admiserit. Etenim alibi<sup>41)</sup> diserte negat, licere homini, angelos alloqui, nisi ei, qui Spiritu S. fuerit instructus, quod profecto non credibile est, eum in se statuisse conuenire; omninoque istud auxilium, quod ab angelis in homines proficisci iudicauit, per Christum potius a Deo nobis statuit expetendum esse<sup>42)</sup>.

B 3

Quae

re etiam iudicauit Ill. Schroeckhius in *Christl. Kircheng.* Vol. IX. p. 213. Qui vero plura de h. l. desiderat, ei legenda inprimis sunt, quae de eo scripsit Dallaeus *l. l. III. c. 38. pag. 57. ff.*

39) *Homil. I. in Ezech. To. III. Opp. p. 358. edit. de la Rue.*

40) Inter quos miror, ipsum etiam Dallaeum fuisse, teste quidem opere eius saepius iam laudato *de cultus religiofi obiecto, l. I. c. 8. pag. 48.* cum non videam, qui factum fuerit, ut non animaduerteret, eiusmodi apo-

strophem cum loco Origenis mox laudando, quem tamen ipse in eodem libro excitauit, minime posse conciliari.

41) *Homil. XXIII. in Luc.* vbi postquam varia allocutionum prophetiarum, angelos spectantium, exempla commemorauerat, *inuenies*, inquit, *in plurimis locis et maxime in Psalmis et ad Angelos sermonem fieri, data hominis potestate, ei tamen, qui Spiritum S. habet, ut et Angelos alloquatur.*

42) Quod adparet e loco *librorum contr. Cels. l. VIII. p. 430.* vbi haec legun-



Quae cum ita sint, ecquis tandem sibi persuadeat, haec ab eodem Origine scribi potuisse? Neque vero, dum locum hunc ei abiudicamus, aliis adhuc argumentis destituimur. Vt enim taceamus, in singulis quidem omnino perquam dubiam esse illorum huius viri scriptorum, quae latine tantum extant, auctoritatem, de qua re alios iam constat viros doctos vberius disputasse<sup>43)</sup>; plura adhuc praeter ea, quae modo commemorauimus, in promptu sunt argumenta, e quibus hunc quoque nominatim locum pro spurio videri habendum esse, haud obscure intelligi posse arbitramur, quaeque, quanquam et ipsa ab aliis<sup>44)</sup> iam in medium sunt allata, paucis tamen et hic erunt attingenda. Pertinet autem huc primum illa difficultas, quae e nexu huius loci cum superioribus oritur. In antecedentibus nimirum dixerat scriptor de angelis in auxilium hominum de coelo descendentibus, nominatimque iis, qui sub tempore natiuitatis Christi in terram deuenerant<sup>45)</sup>, iamque repente sequitur sermo ille ad angelum conuersus: *Veni angele*, etc. quae quis tandem est, qui nullo ea nexu inuicem cohaerere non intelligat? Huic vero difficultati accedit deinde ipse etiam loci obscuritas. Neque enim facile quis dixerit, in cuiusnam auxilium angelus nunc ad-

voce-

leguntur: πῶσα βέλτιον τὸ ταυτὸν ἐπι-  
 ζεῦσαι τῷ ἐπὶ πανί Θεῷ διὰ τὴν τῶν τοι-  
 αύτων ἡμῶν διδασκαλίαν ὑποδεμένῳ Ἰησοῦ  
 Χριστῷ, καὶ ἀπ' ἐκείνου αἰτηῖν πᾶσαν βοή-  
 θειαν καὶ φρουρὰν τὴν ἀπὸ τῶν ἁγίων ἀγ-  
 γέλων καὶ δικαίων, ἵν' ἡμᾶς ῥύσωνται ἀπὸ  
 τῶν περιγυρίων δαιμόνων.

43) Inter quos imprimis pertinet Dallaeus cum in eodem illo, quem saepius iam laudauimus, opere de *cultus religionis obiecto*, l. I. c. 8. pag. 49. tum in illo etiam libro, quem de *scriptis*, quae sub *Dionysii Areopagitae* et *Ignatii Antiocheni* nominibus circumferuntur, edidit, lib. II. c. 40. pag. 474.

44) Nominatim Matth. Bocharto in

libr. de *P invoc. des SS. trait. 2. ch. 21*  
 p. 128. itemque Dallaeo de *cultus relig.*  
*obi. l. l.* et Basnagio in *Hist. de P Eglise*,  
 l. l. p. 109.

45) Praecedunt nimirum haec: *Obsequuntur saluti tuae angeli, concessi sunt ad ministerium Filii Dei et dicunt inter se: si ille descendit, et descendit in corpus, si mortali indutus est carne et sustinuit crucem et pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus? quid parcimus nobis? Eia omnes angeli descendamus e coelo. Ideo et multitudo militiae coelestis erat laudantium et glorificantium Deum, quando natus est Christus. Omnia angelis plena sunt. Veni angele etc.*



vocetur, cum sponte in oculos incurrat, nullo modo de ipso Origene posse cogitari, quanquam de eo utique cogitandum esse, quisque lectorum haud dubie fuerit suspicatus, cum alium, ad quem haec sint referenda, tota homilia nusquam exhibeat, et ne vel digito quidem monstret. At enimvero aperte sermo est de tali homine, qui senex iam a gentilismo ad christianam religionem fuit conuersus, Origenem vero inter omnes constat, hanc religionem iam a puero inde didicisse, a Leonida quippe patre in ea institutum. Neque vero facilius definiri poterit, quaenam sit illa secunda regeneratio, cui tropico, vt adparet, sensu baptismus aliquis tribuitur, et cuiusnam nominatim angeli in tanta eorum multitudine auxilium hinc implorari iudicandum sit.

Simile fere iudicium ultimo denique loco ferendum etiam erit de Ambrosio. Nimirum et hunc volunt angelorum cultum commendasse, cum diserte aliquo loco <sup>46)</sup> dixerit, *obsecrandos esse angelos, qui nobis ad praesidium dati sint*. Verum et hic locus non modo aliorum eiusdem aetatis scriptorum suffragio adeo destituitur, vt multi iam facti sint <sup>47)</sup>, solum hoc et vnicum esse testimonium, in angelorum cultus commendationem ex illa quidem aetate extans, sed et aliis eiusdem viri locis aperte repugnat, in quibus diserte docet, solum Deum adorandum esse <sup>48)</sup>, neque

46) *Libr. de viduis, p. 133. To. I. Opp. edir. Basfl.*

47) *Quod fecit v. c. Basnagius l. l. p. 1146. vbi, C' est un remoin, inquit, unique, qui depose pour ce culte dans l'espace de quatre cens ans. — La seule consequence qu' on peut tirer de ce remoinage de St. Ambroise est qu' à la fin du quatrieme siecle il se trouvoit quelcan, qui commençoit à croire, qu' on pouvoit prier son Ange gardien, quoique cette invocation des Anges eût été condamnée treute ans auparavant par un*

*Concile, et que St. Augustin l' euz regardée comme une heresie. Neque aliter hac de re iudicauit Ill. Sehroekhius in Chriffl. Kircheng. Vol. IX. p. 216.*

48) *Quo inprimis pertinet locus l. III. de Spir. S. c. 12. vbi, qua ratione, inquit, ad incarnationis Dominicae sacramentum spectare videatur, quod ait propheta, adorate scabellum pedum eius, consideremus. Neque enim corporalis Deus, aut non immensus, vt tanquam fulcrum pedibus eius scabellum subiectum putemus. Neque adoramus*





neque opus nobis esse quibusdam quasi intercessoribus, quibus eum precibus nostris adaeamus <sup>49</sup>). Quare nos quidem hic profecto cum Forbessio fecerimus, qui, respectu ad hunc ipsum Ambrosii locum habito, scite obseruat <sup>50</sup>), doctrinam scriptoris alicuius ex iis tantum locis constituendam esse, in quibus quaestionem aliquam ex professo tractet, et sententiam suam scripturarum testimoniis aliisque rationibus confirmet, atque oppositam opinionem diserte confutet, nequitiam vero ex iis, in quibus aliud modo agat, neque de quaestione illa ex professo disserere instituat, hincque vel locum istum Ambrosii ad normam eorum explicandum esse dicit, in quibus suam hac de re sententiam vberius atque consulto exposuerit, vel fatendum esse monet, haec aut temere, nec opinanti, Ambrosio excidisse, aut non esse ab

eo

adorandum quicquam praeter Deum legimus, quia scriptum est, Dominum Deum adorabis et ipsi soli seruias. Quomodo ergo aduersus legem propheta praeciperet, sub lege nutritus et eruditus in lege? Non mediocris igitur quaestio, et ideo diligentius consideremus, quid sit scabellum. Legimus enim alibi: Coelum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum. Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est Dei. Videamus tamen, ne terram illam dicat adorandam propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt. — Ac ne quis hoc derinet ad Mariam virginem. Maria erat templum Dei, non Deus templi. Et ideo ille solus adorandus, qui operabatur in templo.

49) De qua re haec habet in Comment. in epist. ad Roman. cap. I. To.

V. Opp. p. 174. Solent tamen pudorem possi neglecti Dei misera vii excusatione, dicentes, per istos posse ire ad Deum, sicut per comites peruenitur ad Regem. Age, numquid tam demens est aliquis, aut salutis suae immemor, ut honorificentiam Regis vindicet comiti, cum de hac re si qui etiam tractare fuerint inuenti, iure ut rei damnentur maieftatis. Et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deserunt creaturae, et relicto Domino conseruato adorant, quasi sit aliquid plus, quod seruetur Deo. Nam et ideo ad Regem per tribunos aut comites itur; quia homo utique est Rex, et nescit quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem, quem utique nihil latet (omnium enim merita nouit) promerendum suffragatore non opus est, sed mente deuota. Vbicunque enim talis loquutus fuerit ei, respondebit illi.

50) In Instruct. historico - theol. I. VII. c. 5. §. 13. p. 332.



eo scripta, sed ab aliis corrupta ac deprauata. Atque in hanc posteriorem sententiam eo minus equidem dubitauerim pronunciare, quo apertius ipse sibi, si locus iste satis sanus esset iudicandus, vel ad litteram interpretandus, contraxisset Ambrosius, paulo post talia quippe ponens, quae illic dictis plane contraria essent. Etenim cum ibi monuisset, ut si quae vidua, peccatorum vinculis impedita, non possit ipsa se ad Deum precibus adplicare, angelos et martyres intercessores adhiberet<sup>51)</sup>; hic contra haec ponit<sup>52)</sup>: *Ne timeas, quia magnus est Dominus, et fortasse ad aegram non dignatur venire. — Et tu igitur, quae variis mundi aestuas cupiditatibus, — roga Christum, adhibe medicum. — Solus enim mentis et animi potest seruare munditiam, qui ei sacerdoti se nouit offerre, quem pro peccatis nostris accepimus aduocatum. — Et tu igitur quaecumque indecore alicuius rei cupiditate languescis, obsecra Dominum, fidem deser, nec ullam timeas moram: ubi adest oratio, adest verbum: fugatur cupiditas, libido discedit. Ne confessionis verearis offensam.*

Ex his igitur profecto satis perspicue adparet, in hos quidem, quos ab initio diximus, veteris ecclesiae doctores culpam probati vel defensi angelorum cultus iniuste fuisse coniectam, aut eam saltem non posse certis omnique dubitatione maioribus argumentis defendi. Etiam si vero vel maxime posset certioribus argumentis doceri, eos ab isto cultu non omnino abhorruisse, ta-

men

51) Vniuersus nimirum loci contextus hic est: *Videris enim, quod magno peccato obnoxia, minus idonea sit, quae pro se precetur, certe quae pro se impetret. Adhibeat igitur ad medicum alios precatores. Aegri enim, nisi ad eos aliorum precibus medicus fuerit inuitatus, pro se rogare non possunt. Infirma est caro, mens aegra est, et peccatorum vinculis impedita, ad medici illius sedem debile non potest explicare vestigium. Obsecrandi sunt*

*Angeli, qui nobis ad praesidium dati sunt: martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam si quae habuerunt peccata lauerunt. — Non erubescamus eos intercessores nostrae infirmitatis adhibere, quia et ipsi infirmitatem corporis etiam cum vincerent, cognouerunt.*

52) *Ibid. p. 184.*



men dubium foret, vtrum haec eorum sententia ex Platonica ab iis philosophia desumpta, an ex Iudaismo potius ad eos delata dicenda sit. Certe ex hoc non minus, quam illa ad eos peruenire potuisset. Etenim inter Iudaeos quoque fuisse nonnullos, qui angelorum cultui fauerent, cum ex nobili illo epist. ad Coloss. II, 18. loco, tum ex aliis etiam huius rei indiciiis quibusdam haud obscure videmur nobis intellexisse; id quod facile possemus pluribus declarare, si consilii nostri ratio, huiusque libelli breuitas paterentur. Sufficit vero nunc hoc, orthodoxae quidem veteris ecclesiae doctores temere fuisse corruptelae per Platonicas sententias disciplinae theologiae illatae hoc nomine accusatos, quod ab angelorum cultu probando parum abfuisent, cum ab hoc errore eos omnes potius abhorruisse, ex iis, quae iam a nobis dicta sunt, abunde possit intelligi. Vnde vero haereticorum sectae, quae hunc cultum dicuntur defendisse, eum arripuerint, non attinet nunc quaerere, nec videtur etiam perspicue satis posse definiri, cum omnino de his parum aut nihil fere certi nobis constet.

Quamquam vero non modo per quatuor illa priora saecula, sed fere ad octauum vsque orthodoxi quidem coetus christiani omnes ab isto errore alienos se fuerint professi, post tamen eum vtique, suscepto prius sanctorum et martyrum cultu, vniuersae ecclesiae nouimus illatum eique probatum fuisse. Cum vero eiusmodi cultus sanae non minus rationis decretis, quam librorum sacrorum essatis repugnare deprehendatur, recte profecto sub tempora doctrinae euangelicae instaurationis a nostris fuit repudiatus atque abiectus; cuius rei memoriam nos hoc potissimum tempore gratos recolere conuenit, quo per annua sacra exoptatissimae istius doctrinae emendationis, illius non minus, quam reliquorum fructuum eius saluberrimorum admonemur. Haec autem sacra a nobis etiam proximo die XXXI. Octobr. hor. XII. in aede Paulina ex maiorum more celebrabuntur sic, vt Oratoris inter ea partes sustineat Vir doctrinae non minus, quam probitatis laude inter nos florentissimus, M. GEO. FR. STEIGISM. IASPIS, ad aedem Nicolaitanam Ecclesiastes Sabbatarius,

de



*de inuicta veri vi in sacris instauratis maxime conspicua dicturus.*  
 Quem, vt Vos, PRINCEPS SERENISSIME, COMITES ILLV-  
 STRISSIMI, VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES GRA-  
 VISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI et NOBILISSIMI,  
 beneuole velit audire, hisque vniuerfis sacris frequentes inter-  
 esse, cum optamus vehementer, tum humanissime etiam ro-  
 gamus.

P. P. Dom. XX. p. Trinit. A. MDCCXCVII.

---

L I P S I A E,

EX OFFICINA KLAVBARTHIA









Jf 788

TA-OC

ULB Halle

007 412 312


3




h. t.











ECTOR  
IAE LIPSIENSIS  
MORIAM  
DATIONIS  
NAE ET SACRORVM  
LV THERVM  
FACTAE  
E ANNIVERSARIA  
TOBR. A. R. S. c1010ccxcvii  
RECOLENDAM  
INDICIT

*estiae culpa corruptae per Platonicas sententias  
Theologiae liberandis  
nmentatio IV.*